

convenerunt in dicta civitate Archiepresbyter et Presbyteri Canonici nuncupati Ecclesiae s. Nicolai Oppidi Argentae, aliique pariter Canonici Ecclesiae Beatae Mariae Portus Majoris; sed orta inter eos controversia, cuinam deberetur praecedentia in solemnibus processione fieri solita pro inchoatione Synodi, Canonici Portus Majoris ad evitanda imminencia scandala se abstinuerunt, prout fecerant in aliis Synodis, emissa prius protestatione super praetensis eorum juribus; attamen cupientes omnem occasionem litium in posterum dirimere recursum habuerunt ad Sacram Congregationem pro declaratione danda ad infrascriptum dubium.

Quaelibet Ecclesia conatur probare propriam et excludere respective alterius Collegialitatem; et quia utraque caret indulto apostolico, utraque propterea se fundare contendit in temporis antiquitate ac in conjecturis et argumentis praesefertibus Collegialitatem, quae signa et argumenta late explicantur per Emmentissimum Petram *Constit. 7. Innocentii IV. sess. 2. n. 19. et seq., tom. 3.*, ubi egregie de more separat signa aequivoce ab univocis seu ea, quae se habent de materiali in Collegiata, ab iis, quae se habent de formali. Ecclesia vero s. Nicolai in dicto Oppido Argentae praetendit habere etiam qualitatem insignitatis, ex qua desumit eidem competere praecedentiam, etiam si in erectione esset posterior.

Audito desuper usque a dicto anno 1724 tam Eminentissimo Legato quam Reverendissimo Archiepiscopo, primus concludere videtur pro dicta Ecclesia s. Nicolai, alter vero pro Ecclesia Portus Majoris, ut latius ex eorum relationibus transcriptis in summariis circumferendis.

His stantibus exquiratur ab EE. PP. declarandum:

*An et cui Capitulo danda sit praecedentia in processionibus in casu?*

S. C. C. resp.:

Praecedentiam dandam esse Capitulo Collegiatae Portus Majoris et amplius. Die 9. Sept. 1730.

e) Clerus Ecclesiar. diversarum.

Vd.: *Processio* (crux Colleg.; crux Cath.); *Parochus*; *Canonici*; *Beneficiati*; *Processio* (indictio a Vic. gen.); *Seminarium*.

Clerum in quibuslibet processionibus, litanis, exequiis, divinis officiis et similibus conventibus et actibus ita ordinari debere, ut ultimo et digniori loco Canonici et totus Clerus Cathedralis incedat; secundo loco et immediate ante ipsum Clerum Ecclesiae Cathedralis incedant Canonici et Capitulum Ecclesiae Collegiatae ... cum aliis personis ecclesiasticis dictae Ecclesiae; tertio vero et anteriori loco totus reliquus Clerus saecularis. Et ante singulos praedictos Ordines singulae eorum Cruces deferantur. n. 4. die 6. Aug. 1588; n. 286 die 14. Jan. 1606; n. 351 ad 20 die 19. Maii 1607; n. 2119 ad 2 die 2. Julii 1661.

*Penes Capitulum Cathedralis cum in choro tum in processionibus locum debere Beneficiatis uti de gremio Cathedralis ejusdem a Capitulo inseparabilibus, quibuscumque in contrarium rectoribus minime suffragantibus.* n. 1893 die 8. Junii 1658.

*Dum totus Clerus incedit sub unica Cruce quisque debet incedere cum suo capite non ratione praecedentiae sed ne membra dividantur a suo capite.* n. 2420 ad 2 die 13. Augusti 1667.

Proposita causa Taurin. praecedentiae vert. inter Beneficiatos Metrop. et parochos Taurinenses

S. C. resp.: In processionibus, quae fiunt cum interventu Capituli, praecedentias debere Beneficiatis. n. 3037 die 2. Oct. 1683.

Canonici Collegiatae Gerundae in processionibus separari non possunt a suis Beneficiatis et incedere ante Capitulum Cathedralis. n. 3610 ad 3 die 21. Jan. 1702; n. 3613 die 11. Febr. 1702.

Tam ipsi Canonici quam Mansionarii Curatus et Capellani Ecclesiae Cathedralis in omnibus processionibus, quae fiunt per annum sive publicis sive privatis sive pro funere defunctorum, praecedentiam habent semper supra Curatos Ecclesiarum parochialium et nihil innovandum sed consuetudinem antiquam, quae juri et Caeremoniarum libro conformis est, servandam esse. n. 195 die 23. Maii 1603.

Dictum vero decretum non habere locum, quando Canonici sine Cruce et consensu Capituli uti singuli incedunt. n. 223 die 20. Dec. 1603.

Capellanus major SS. Salvatoris cum aliis suis Capellanis minoribus incedat in loco ei convenienti juxta tempus *fundationis* suae Ecclesiae et nullo modo incedat ante vel inter Canonicos Ecclesiae Colleg., neque Capellani minores dictae Ecclesiae ante Capellanos Collegiatae vel mixti cum eis incedere praesumant sed in loco eis debito cum Capellano majore; Ecclesiae vero Colleg. et omni ejus Clero ordinatim ultimus et dignior locus servetur juxta regulas libri Caerem. n. 282 die 24. Sept. 1605.

Semper in omnibus process. dignioribus praecedentiam dandam esse; et cum Clerus Cathedr. proculdubio dignior sit Clero Ecclesiae Colleg. ... illum semper debere praecedere et locum digniorem obtinere. n. 358 die 1. Sept. 1607.

*In Processionibus dandam esse praecedentiam ipsis Canonici et Clero Ecclesiae Cathedr. ... in digniori loco*

*supra annes alios presbyteros sive Clericos aliarum omnium Ecclesiarum Collegiatarum vel parochialium* et licite cogi posse per Archiepiscopum omnes de Clero, ut tam ad processiones ordinarias quam etiam ad extraordinarias, ex legitima causa indictas, in loco assignato in ordinationibus praedictis accedant. n. 387 die 14. Junii 1608.

*Omnes Canonicos, Presbyteros et Clericos, quovis modo adscriptos servitio Ecclesiae Cathedr., vel ad tempus vel in perpetuum, facere unum corpus et debere omnes incedere sub Cruce Ecclesiae Cathedr., cui inserviunt vel in ea beneficia simplicia possident; nec propterea inferri praesudicium Praeposito et Canonicis Ecclesiae Collegiatae, qui faciunt aliud corpus distinctum ab Ecclesia Cathedr., quae procul dubio debet praecedere Collegiatae; et dicti Presbyteri, Clerici et alii Ecclesiae Cathedr. adscripti non praecedunt Ecclesiae Collegiatae tamquam singuli sed tamquam uniti corpori Ecclesiae Cathedr., quod corpus nullo modo dividi potest.* n. 418 die 28. Nov. 1609.

Praecedentiam semper dandam esse Canonicis tam in Cathedr. quam in quacunque alia Ecclesia, dum ad Officia divina vel ad Concionem audiendam sedent in habitu canonicali. n. 424 die 6. Mart. 1610.

*Dignitas Ecclesiae Cathedr. praecedere debere omnibus aliis Dignitatibus et Canonicis Ecclesiarum Colleg. in omnibus locis, praeterquam in ipsis propriis Ecclesiis Colleg.* n. 497 die 30. Sept. 1614.

Praecedentiam in ecclesiasticis functionibus inter Presbyteros simplices et Canonicos, ratione paramentorum debere paratis. n. 2422 die 10. Sept. 1667.

Canonici Ecclesiae Colleg. in publicis processionibus, functionibus et



tante parochi vel alio Sacerdote ejus licentia.

Die 15. Maii 1728.

#### 16) SS. Corporis Chr.

##### a) Benedictio infra Process.

Vd.: *Bened. cum SSmo* (in process.); *Festum SS. Corp. Chr.* (dub. V.); *Process. SS. Corp. Chr.* (Depos. SSmi etc.)

##### b) Candelae Cleri.

Vd.: *Candela Dignit.*; *Processio SSmi Regular.* (modus, decr. n. 4130); *Instr. Clem. §. XX. n. 2—13*; *Intortitium*; *Candela* (modus defer.); *Indulg.* (in festo ... ss. Corp. Chr.)

Canonici in processione SS. Corp. Chr. tenentur funalia seu intortitia deferre, quamvis Archiepiscopus per se ipsum non deferat. n. 1519 ad 2 die 2. Julii 1644.

Omnes tam Laicos quam Clericos ad honorandum SSmum in processionibus et per annum et in festo ss. Corp. Chr. faciendis intortitia seu candelas accensas deferre debere, quatenus id fieri potest ... n. 190 die 12. Apr. 1603.

Praepositis et Rectoribus Lauden. licet deferre in manibus intortitia in processione ss. Corp. Chr. n. 2779 die 21. Mart. 1676.

Omnes tam Religiosi quam Laici debent, si fieri possit, si non funalia, saltem candelas cerae albae accensas manibus portare.

*Caer. Ep. I. II. c. XXXIII. n. 4.*

Praeparentur funalia et candela ex cera alba in numero sufficienti pro Canonicis et aliis deferenda in process. ss. Corp. Chr.

*Ibid. n. 14.*

Advertatur, ut intortitia et candela, quae in process. ss. Corp. Chr. delata fuerunt, non extinguantur, donec Episcopus cum SSmo benedictionem dederit.

*Ibid. n. 29.*

##### c) Cand. Laicor.

Vd.: *Confraternit.* (locus in process.)

Decretum Episcopi, ut Priores Confraternitatis ss. Sacramenti incedant non ante Baldachinum post Capitulum, sed a latere Baldachini hinc inde, servandum esse. n. 519 die 30. Jan. 1616.

Non est permittendum, ut unus vel duo ex Confratribus Societatis ss. Sacramenti incedant post Clerum immediate ante ss. Sacramentum cum Campanulis. n. 694 die 17. Julii 1627.

Non convenire, ut nonnulli Regulares et Confraternitas Laicorum in processionibus deferrant intortitia post Capitulum. n. 976 die 15. Dec. 1632.

Magistratus ejusque Officiales in processionibus, in quibus deferunt Intortitia, illa propriis manibus deferre debent. n. 3915 ad 7 die 10. Sept. 1718.

##### d) Cantus.

Non convenire cantare aliquas cantiones vulgari sermone in festivitate ss. Sacramenti. n. 405 die 21. Mart. 1609. Cf.: *Cantus.*

##### e) Intra Claustra Monast. Monial.

Vd.: *Processio* (int. vel ext. claustr., decr. Pii VI.); *Process. in Monial. etc.*

##### f) Delatio ss. Sacramenti.

Vd.: *SS. Sacram.* (a Celebr. defert.)

##### g) Depositio SSmi super altare per viam erectum.

Vd.: *Altare* (in process. SSmi.)

Si longior fuerit via processionis, poterit Episcopus in aliqua Ecclesia et super illius altare deponere SSmum et aliquantulum quiescere et ibidem, antequam discedat, thurificare SSmum et Orationem de SSmo canere, quod

tamen non passim in singulis Ecclesiis vel ad singula altaria, quae forsitan per viam constructa et ornata repertiuntur, faciendum est, sed semel tantum vel iterum, arbitrio Episcopi.

*Caer. Ep. I. II. c. XXXIII. n. 22.*

##### h) Duae eod. tempore.

Ecclesia s. Joannis B. Ecclesiae parochiali matri s. Georgii adnexa et unita facit in Octava ss. Corp. Chr. processionem eodem tempore, quo matrix Ecclesia, sub praetextu, quod sit aggregata Archiconfraternitati s. Petri et ideo Presbyteros et Clericos e dicta Matrice deviare facit, quod parochus prohiberi petiit.

S. R. C. resp.: Prohiberi dictam processionem. n. 630 die 2. Maii 1626.

Vd.: *Process.* (Plures eod. die); *Process. Corp. Chr.* (exit., decr. 22. M. 1615.)

##### i) Exitus.

Processio ss. Corp. Chr. inchoari non debet ab Ecclesia inferiori, non attenta immemorabili consuetudine. S. C. C. in Sarnen. 7. Aug. 1683.

Item processio ss. Corp. Chr. terminari debet in illa Ecclesia, a qua incepit.

S. C. R. in Notana processionis 1. Sept. 1728.

Processionem in festo ss. Corp. Chr. ab Ecclesia Cathedrali debere inchoari et ibidem finiri. n. 574 ad 1 die 19. Aug. 1619.

Processiones in festo Corp. Chr. facere non licet Ecclesiis, sed soli Episcopo seu Ecclesiae Cathedrali.

S. R. C. 22. Maii 1615.

In solemnitate Corp. Chr. processio incipere debeat ab ipsa Ecclesia Matrice, ad quam convenire debeant omnes interesse debentes enumerati in Caeremoniali Ep. (I. II. c. XXIII.) et nullo modo per vias expectare. n. 1047 ad 1 die 6. Sept. 1636.

Decreta authentica. Tom. II.

Processio in die Corp. Chr. levanda est de Ecclesia parochiali Matrice et non de noviter erecta Collegiata sine cura animarum. n. 2209 ad 1 die 17. Mart. 1663.

Processionem in festo ss. Corp. Chr. ab Eccles. Cathedrali debere inchoare et ibidem finiri. n. 574 ad 1 die 19. Aug. 1619.

Non licere in die solemnitatis ss. Corp. Chr. per parochum Terrae de Valentino celebrare Missam in Capella Ducis dictae Terrae et ibi inchoare processionem, sed inchoari et celebrari debere in Ecclesia Matrice et parochiali dicti loci, quocumque usu in contrarium non obstante, quem ab usum esse. n. 3027 die 24. Julii 1683.

Regulares existentes in curia Casiliensi tenentur in festo ss. Corp. Chr. ad Ecclesiam Matricem reassociare SSmum ibique permanere usque ad benedictionem. n. 3083 die 10 Mart. 1685.

Vd.: *Oratorium* (Missa etc.; decr. n. 3027); *Processio* (terminat.; exit.).

*De process. ss. Corp. Chr. tempore Sedis ap. vacantis in Urbe peragenda*, vd.: *Constit. Bened. XIV. 16. Febr. 1745* (Bull. r. t. XVI. p. 284—287).

##### k) Laicor. Ingressus.

Vd.: *Processio* (extra paroch.); *Diaconi assist.* (porrig. SSmum); *Processio* (Vic. gen.); *Incensatio Episcopi in process. etc.*; *Baldachinum* (hastae etc.); *Bened. cum SSmo in process. etc.* (quoties, decr. n. 4574); *SS. Sacramentum*; *Processio* (capite etc.); *Indulg.* (in festo ... ss. Corp. Chr.); *Regular.* (post Confrat.)

Archiepiscopum contentum esse posse, ut Magistri Annuntiationis in repositione ss. Sacramenti in Octava Corp. Chr. post Vesperas possint deferre SSmum extra Ecclesiam et procedere juxta extensionem murorum ejusdem Ecclesiae et domus, ita ut semper ab



uno latere dictos muros habeant: dummodo tamen non interveniant alii Religiosi, neque laicorum societates, praeter illos ejusdem Ecclesiae et domus vel ab ipsa dependentibus. n. 78 die 11. Junii 1594.

d) Laici Sanctos repraesentantes.

*Ad dubium*: an in processionibus tum SSmi in die Corp. Chr. ejusque Octava tum aliarum Confraternitatum Rosarii, Carminis etc. permittendum sit, ut Pueri Puellaeque, nedum septennio minores, sed Virgines ultra vigesimum annum, magno cum scandalo Sanctos Sanctasque eorumque vitas, miracula et mortes repraesentantes, cum Insigniis eorumdem Sanctorum se induant et incedant?

S. C. resp.: „Prohiberi.“ n. 2423 ad 7 die 5. Nov. 1667.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXI. n. 5, 6; *Processio* (Laici, Angelos etc. repraesent.).

m) Laicorum Obligatio.

Vd.: *Processio* (oblig. Laicor.).

Communitates possunt compelli ad accedendum processionaliter ad Ecclesiam Matricem in solem. Corp. Chr. n. 3470 ad 4 die 31. Maii 1698.

*Instructio Clem.* §. XXII. n. 1—9.

n) Licentia.

Breve Clementis VIII. non afficere parochos saeculares, et Archipresbyterum parochialis Ecclesiae s. Joann. B. non posse nec debere impediri in sua processione in dominica infra Octavam Corp. Chr. n. 957 die 30. Apr. 1632.

In processione *infra octavam Corp. Chr.* fieri consueta Regulares non posse prohiberi, ne *extra claustra* eorum Monasterii ducant processiones. n. 1929 die 7. Sept. 1658.

Vd.: *Processio ss. Sacramenti.*

*Quod Omnibus liceat in quocunque die infra Octavam Corp. Chr. processionem sol. facere*, vd.: *Constitut. Greg. XIII. die 11. Mart. 1573* in Bull. mag. rom. tom. II. p. 398 ed. *Luxemb.*

o) Lumina.

Vd.: *Processio ss. Corp. Chr.* (candelae Cleri et Laicor.); *Lateran.*

Pro consueta, quaeque alias haberi opus fuerit, solemnibus ss. Corp. Chr. processione, pluribus quamvis a Caeremoniali Episcoporum sit, qua par est, cura omni praecautum, quatenus illa religiose semper et honorificentissime habeatur, luminibus praesertim adhibitis, a Clero et Populo deferendis, verumtamen cum, quae deferri solent, lumina aperta gestentur, eaque non raro, vento aut pluvia improvise superveniente, extincta omnia remanere videantur; ne idcirco (quod incongruum satis esset, atque Augustissimo Domino indecentissimum) lumina tunc debita desiderentur, curent Episcopi et cum eis sacrarum Caeremoniarum magistri advigilent, ut, per quos pertinet, quatuor saltem cum suis hastis laternae, quae tamen aliis sint nobiliores, comparentur; et suis semper cum intus accensis candelis hinc inde circa Celebrantem, qui Sacramentum gestat, in posterum deferantur.

*Conc. Later. 1725 tit. XV. c. VII.*

p) Obligatio Cleri saecul. et reg. interessendi.

Vd.: *Process. gener.* (Oblig. etc.); *Process.* (obligat. interess.)

Neapolitana.

(*Conc. Tr. C. 5. Sess. 10. de cultu et venerat. SSmi; C. 13. Sess. 25.*

De Regul.

Renuentibus Presbyteris Ecclesiae s. Jacobi Hispanorum hujus Civitatis

praetextu suorum privilegiorum accedere ad processionem prope peractam ss. Corp. Chr. Curia Archiepiscopalis eorum nonnullos suspensione a Divinis irretivit. Sed iisdem reclamantibus apud hanc Sacram Congregationem praeacceptataque relatione Eminentissime Archiepiscopi proposita fuit causa per summarium in Congregatione proxime decursa et rescriptum extitit: Transmittantur acta quamprimum et proponatur causa omnino in prima, firma remanente suspensione. Actis itaque transmissis juxta demandata causa hodie proponitur, ut ex deducendis hinc inde a partibus monitis dignentur EE. VV. resolvere infra-scripta Dubia inter easdem concordata:

1. *An Clerus Ecclesiae s. Jacobi Nationis Hispanorum Neapolis teneatur accedere ad processionem ss. Corp. Christi?*

2. *An suspensio a Divinis lata a Curia Archiepiscopali Neapolitana contra Capellanos et Clericos dictae Ecclesiae sustineatur in casu etc.?*

S. C. C. ad 1.: Affirmative;

ad 2.: ut supra.

Die 3. Aug. 1709.

q) Infra Octavam.

Vd.: *Process.* (In domin. inf. octav. etc.); *Process. ss. Corp. Chr.* (transl., licentia.)

r) Ordo incedendi.

Vd.: *Processio* (Clerus).

s) Paramenta.

Vd.: *Process. Clerus inf. parat.*; *Canon. Cath.* etc.

t) Quae res circumferri debeant?

Vd.: *Instr. Clem.* §. XXI. n. 6; *Process. ss. Corp. Chr.* (Laici etc.); *Processio* (Laici etc.); *Parasceve* (processio).

Clerus Caesaraugustanus solet quottannis processionem facere, in qua insignem Reliquiam s. Gregorii et

aliorum ss. reliquias defert. Cupit in eadem processione deferri posse SSmum. S. C. resp.: *Nihil.* n. 45 die 23. Mart. 1593.

In *theophoriis*, quae semper horis antemeridianis nunquam vero post meridiem habendae sunt, Imagines et Reliquiae ss. ne gestantur, stricte interdicitur.

(*Conc. Colon. die 17. Maii 1860.*)

In sol. processione ss. Sacramenti tam in die Corp. Chr. quam in maj. hebdomade deferre non licet instrumenta ss. Passionis Salvat. N. J. Chr., scilicet fragmentum ss. Crucis vel Spinae. n. 3059 ad 1 die 17. Junii 1684.

Rme D. uti Frater.

Expositum fuit S. R. C. ex parte R. D. Sacerdotis Andreae Bonetti Parochi Oppidi Pralisyvici istius Amplitudinis Tuae Dioec. quamdam paucis abhinc annis introductam fuisse consuetudinem eadem in Regione publicis in supplicationibus, quae ducuntur in festo et per oct. ss. Corp. Chr., deferendi veteris Testamenti Arcam, mensam cum propositionis panibus, candelabrum cum septem luminaribus et alia id generis, quae fuerunt per Moysem illa in lege instituta, quae a juvenibus instar hujus legis indutis deferuntur. Quum autem hujusmodi novitatis murmurationibus ac disputationibus occasionem scandali praebeant, ad omnia praecavenda praedictus parochus rationes in genere assignavit, quibus quisque pro sua parte consuetudinem tuetur vel improbat, ut super eadem retinenda vel eliminanda de more decernatur. Et S. eadem C. ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitibus adunata, audita relatione a R. P. D. Secretario subscripto facta, omnibus attente consideratis, rescribendum censuit: „Dentur Decreta jam alias edita, nimirum in una Urbis die



Synodis praeferantur omnibus Curatis et Presbyteris ecclesiarum parochialium et aliarum ecclesiarum simplicium. n. 480 die 11. Dec. 1613.

Ecclesiis Collegiatis super alias simplices Ecclesias praecedentiam de jure debere indubitatum est. n. 568 die 23. Mart. 1619.

Praecedere debere Sacerdotes Diaconis et Diaconos Subdiaconis. n. 587 die 4. Apr. 1620.

Praecedentiam inter Curatos debere in processionibus et aliis actibus deputato ad curam Ecclesiae, non obstante, quod sit amovibilis et regularis. n. 943 die 6. Dec. 1631.

Habentes Praebendas presbyterales, licet posteriores in possessione, praeferi debere habentibus praebendas diaconales, licet anterioribus in optione, non obstante quacunque contraria consuetudine, quam abusus esse. n. 944 ad 2 die 6. Dec. 1631.

Inter pares Praebendas Obtinentes hierarchicum ordinem inconcussum servandum fore, nullatenus attentam anterioritate possessionis adeptae, nisi inter aequales Ordine; neque tamen consuetudinem illam abrogans, qua alicubi laudabiliter inductum reperitur, ut qui primo ordinatus gradum ordinis semel ascenderit, ab antiquiori praebendato pari ordine postmodum insignito, ne a stallo pellatur; imo jus praelationis semel adeptum nunquam remittat. Itaque Presbyteros Diaconis, Diaconos Subdiaconis, Subdiaconos Clericis praefereandos esse, tam etsi praebendae sacrum Ordinem non desiderent. n. 1981 die 29. Mart. 1659.

Clericos indutos cotta seu alio ecclesiastico indumento praefereandos esse privatis personis seu aliter Clericis nullo choralis, seu ecclesiastico indumento suffultis. n. 2085 die 20. Nov. 1660.

In processionibus (extra funerals) potest Prior saecularis s. Nicolai suam Crucem, prout hactenus consuevit,

gestari facere, sub qua omnes et singuli Sacerdotes et Clerici suae parochiae et suae Ecclesiae inservientes incedere valent, quatenus tamen aliquando non fuerit admissa observatio Caeremonialis, ut sub unica Cruce etiam in processionibus omnes incedant. n. 2109 die 2. Julii 1661.

Canonici Collegiatae Andrien. contra solitum praetendebant, in processione SS. Sacramenti ita incedere, ut post Crucem primo loco Clerici Cathedralis, deinde Canonici Collegiatae et demum Canonici Cathedralis sequerentur; sed S. C. resp.: a solito non esse recedendum, ut Canonici Collegiatae in primo loco post Crucem Cathedralis incedere debeant et *post eos in ultimo et digniori loco Clerici et Canonici Cathedralis, intra quos nec Clerici nec Canonici aliarum Ecclesiarum debeant se miscere.* Neque Canonici Collegiatae licere contra solita erigere Insignia. n. 252 die 21. Aug. 1604.

Canonicos s. Mariae Mediol., quamvis habentes titulum Capellanorum regionum, quoad praecedentiam servare debere solitum et nihil inovari. n. 2212 die 28. Apr. 1663.

*Ad dubium Sacerdotum Frusinanis: an Beneficiatus simplex Clericus adhuc non Sacerdos effectus debeat praecedere ipsis oratoribus sacerdotibus?*

S. C. resp.: Sacerdotes praecedere debent. n. 2804 die 14. Nov. 1676.

#### Monopolitan.

Etsi in Civitate Monopolitana quatuor extent receptitiae Ecclesiae et earum singulis proprius parochus praesit, attamen Clerus cujusque Ecclesiae receptitiae publicis in supplicationibus sub unica Cruce Ecclesiae Cathedralis incedebat immediate post Seminarium Alumnos et ante Clerum Cathedralis, quae praeter Canonicos, Mansionarios numerarios seu Capellanos distinctis

propriis insignibus decoratos, habet etiam Sacerdotes sic dictos extranumerarios, qui tum in choro tum in processionibus unica cotta induti sunt, sed ad servitium Cathedralis praestandum adiguntur et ex bulla Episcopali adnotantur in tabella servitii choralis, de nonnullis distributionibus participant, punctatura choro non praesentes mulctantur et ipsi hujusmodi in supplicationibus primi incedunt de choro Cathedralis seu immediate post Clerum ecclesiarum, quae receptitiae nuncupantur, quae semper in processionibus retinent locum cuique debitum. Verum quum in praesentiarum Clerus cujusque Ecclesiae receptitiae ampliori dignitate cohonestatur, siquidem quoad honores Collegium declaratae sunt, hucusque servatam consuetudinem invertere praesumit et in processionibus Sacerdotes extranumerarios Cathedrali ut supra addictos a reliquo Cathedralis ipsius Clero separare admittitur, ut eorum locum occupet, adeo ut ipsi extranumerarii immediate post Seminarium incedant. Contra hanc indebitam instantiam conqueritur Cathedralis Capitulum, cujus nomine S. R. C. enixae datae sunt preces, ut quid in casu servandum definire dignaretur. Et S. eadem C. ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitibus ad relationem subscripti Pro-Secretarii rescribendum censuit: „Juxta alias decreta servandum esse in omnibus ordinem Cleri publicis in supplicationibus hucusque laudabiliter servatum.“ Atque ita servandum mandavit.

N. 5174 die 25. Sept. 1852.

Die s. Marci congregatur de mandato Episcopi *totus* Clerus saec. et reg. ante fores Ecclesiae vel etiam intra, unde processio discedere debet. Tunc incipiet processio: procedent confraternitates Laicorum, deinde Religiosi,

postmodum Clerus Ecclesiae Colleg. et *ultimo Clerus Cathedralis*...

Caer. Ep. I. II. c. XXXII. n. 1.

Ordo incedendi in process. ss. Corp. Chr. hic est: Primo minister portans Crucem Ecclesiae Cathedr. medius inter duos Clericos portantes duo candelabra cum candelis accensis, deinde Clerici Seminarii et post eos Curati ecclesiarum paroch. cum cottis, tum Ecclesiae Colleg. cum eorum insignibus, si alias illa deferre solent, et *ultimo loco Clerus Ecclesiae Cathedr.*

Caer. Ep. I. II. c. XXXIII. n. 5.

Praecedentia inter Curatos Ecclesiarum parochialium non ratione Regulae sed ratione antianitatis seu praerogativae Ecclesiae parochialis Curatis danda est: S. C. R. in Asten. 21. Martii 1609.

f) Clerici singuli inter sese.

Vd.: *Beneficiati* (praeced.).

Inter plures Ordinatos ad Presbyteratum eodem tempore ab eodem Episcopo, illum praefereendum esse in choro in processionibus et aliis actibus capitularibus, qui prius descriptus, vocatus et ordinatus fuit, non autem, qui prius Missam celebraverit. n. 2968 die 22. Nov. 1681; n. 2775 die 21. Mart. 1676.

Illi praeferantur, qui prius ordines majores susceperint, etiam illis, qui minores ordines ante illos susceperunt, et quando plures eodem die ordinati sunt, illum praefereendum esse, qui prius in Ordine nominatus et ordinatus est. n. 320 die 17. Junii 1606.

Praecedentiam dandam esse presbytero prius ordinato, nulla habita ratione gradus doctoratus, quia longe dignior et major est ordo Sacerdotis quam gradus doctoratus. n. 384 die 14. Junii 1608; n. 2759 ad 1 die 23. Nov. 1675; n. 2914 die 24. Febr. 1680; n. 620 ad 1 die 4. Apr. 1626; n. 727



die 26. Febr. 1628; 29. Nov. 1603. *Mediol. etc.*

Illum praecedere debere et locum digniorem obtinere, qui prius Presbyter ordinatus fuit et non qui prius, cum non esset Presbyter, possessionem Capellaniae accepit. n. 269 die 16. Julii 1605.

Sacerdotes antiquiores in ordine, licet non Doctores, praecedere debere Sacerdotes postea promotos graduatos, cum nulla habeatur ratio gradus Doctoratus in concursu cum Sacerdotio. n. 867 die 20. Julii 1630; n. 1194 die 14. Jan. 1640; n. 2850 ad 2 die 22. Jan. 1678; n. 3735 die 12. Sept. 1705.

Praecedentiam debere sacerdotibus antiquioribus, praeterquam in functionibus, in quibus Capellanus junior supplet vices et munus parochi. n. 3596 die 13. Aug. 1701.

Praecedentiam debere juxta praerogativam Ordinis et inter Clericos ejusdem Ordinis juxta praerogativam antianitatis in Ordine. n. 3965 ad 1 die 15. Sept. 1725.

Post Archipresbyterum s. Nicolai in terra Medulae et alios parochos debere praecedentiam juxta antianitatem promotionis, servata Ordinum distinctione. n. 4017 die 9. Maii 1733.

Sacerdotem antiquiorem in Ordine non debere praecedere in *actibus privatis* Canonicum Sacerdotem in Ordine posteriorem. n. 753 ad 4 die 12. Julii 1628.

Praecedentia semper dignioribus danda est.

S. R. C. 1. Sept. 1607.

Digniores semper sint posteriores in processione.

*Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 24.*

Nullam vim fieri posse in doctoratu inter Presbyteros, cum Sacerdotis regalis dignitas absorbeat quoscunque gradus. n. 2128 die 3. Sept. 1661.

Presbytero Joanni Mantanelli debere praecedentiam Ordinis a die Ordinationis adversus alios Presbyteros simplices, non obstante quod Ordines suscepit in habitu regul. s. Francisci et quod postea a Religione praedicta licentiatu fuerit ob nullitatem professionis. n. 2268 die 15. Mart. 1664.

*Ad dubium*: An Vice-Parochus debeat habere praecedentiam super alios Sacerdotes, ipsi in Ordinatione anteriores, non obstante aliqua consuetudine non immemorabili?

S. C. resp.: Negative praeter functiones, in quibus exercet munus Vice-Parochi. n. 4844 ad 7 die 23. Febr. 1839.

Inter simplices Sacerdotes nulla gaudentes praebenda anterioritatem suscepti presbyteratus inspicendam esse, nulla inter eos habita ratione prioritatis in Ordine Subdiacon. vel Diaconatus. n. 1980 die 29. Mart. 1659.

*Ad dubium 1.*: An servanda sit consuetudo praecedendi juxta antianitatem possessionis inter Capellanos residentes in Ecclesia Cathedrali Perusina, itaut Paschalis Lazzarinus praecedere debeat Carolo Pilorci? Et quatenus negative;

2.: An ordo praecedendi cum ceteris Capellanis residentibus statui debeat juxta antianitatem fundationum in casu?

S. C. C. resp. *ad 1.*: Affirmative; *ad 2.*: Provisum in primo.

Die 14. Jan. 1736. *Perusina.*

Sacerdos prius ordinatus praefertendus est Presbytero postea ordinato, licet Capellaniae possessionem prius accepit, qui postea ordinatus est. S. C. R. in Novarien. 16. Junii 1606, in Lycien. 19. Jan. 1613.

Beneficiatus in Ecclesia sui Beneficii praecedentiam habere debet supra alios Beneficiatos in eadem Ecclesia non Sacerdotes. S. C. R. in Nullius Provinc. Florentinae de mense Januar. 1633.

### 15) Confraternitatis.

Vd.: *Confraternitas*; *Processio* (licentia); *Processio* (per civitat.); *SS. Sacram.* (Delatio in proc. Confr.)

*Ad dubium*: An valeat Confraternitas Salutis Hospitalis s. Antonii abb. Terrae Medicinae Imaginem B. V. M. singulis annis in festo s. Pii V. seu in dominica eidem festivitati sequenti ad Ecclesiam Villae Fontanae processional. transferre, subinde die Sabbati immediate post festivitatem s. Augustini ad Eccles. s. Antonii restituere, necnon successivo die dominico Missa sol. ac Vesperis cum cantu celebratis processionem gener. facere per terram Medicinae?

S. C. C. resp.: Affirmative cum licentia tamen Ordinarii.

Die 28. Julii 1724. *Bonon.* ad 3.

*Ad dubium*: An liceat eidem Confraternitati Salutis facere processionem Poenitentiae in una ex diebus hebdomadae s.?

S. C. C. resp.: Affirmative de licentia tamen Ordinarii.

*Ibid.* ad 4.

*Ad dubium*: An liceat Confraternitati Mortis loci Praedarii facere processiones tam intra ambitum Oratorii quam extra illum absque licentia parochi, per cujus parochiam transeundum est?

S. C. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, nisi accedat licentia Episcopi.

Die 3. et 24. Sept. 1718.

*Ad dubium 1.*: An Confraternitas ss. Rosarii Regien. annuente et permittente Archipresbytero facere possit processiones intra et extra Ecclesiam sine interventu Canonicorum?

2.: An et a quo sit determinanda via processionum, quae fiunt extra ecclesiam et per parochiam?

S. C. C. resp. *ad 1.*: Negative quoad primam partem et quoad secundam, dummodo non agatur de processionibus,

quae fiunt ex instituto Confraternitatis, in quibus sufficit, quod Canonici sint invitati;

*ad 2.*: esse determinandam a Praefecto chori interveniente Capitulo.

Die 5. Aug. 1719 ad 5 et 6 *Regien.*

*Ad dubium 1.*: An liceat Confratribus B. V. M. 7 Dolor. Cassanens. Dioec. singulis mensibus in tertia dominica processionem explere per civitatem Maratheae et intra limites parochiae s. Mariae majoris de sola licentia Episcopi, praesertim ubi Archipresbyter interpellatus assentiri nolit? Et quatenus affirmative;

*ad 2.*: an et quibus horis sit peragenda processio praedicta?

S. C. resp. *ad 1.*: Affirmative et ad mentem;

*ad 2.*: Arbitrio Episcopi.

Die 11. Julii et 12. Aug. 1747.

*Ad dubium 1.*: An Praeposito s. Leonardi invitato et renuente aut impedito intervenire processioni occasione festi Nativitatis B. M. V. adhuc confratres mortis oppidi Casalis majoris illam facere possint absque licentia dicti Praepositi in casu?

2.: An dicti Confratres facere possint eandem processionem cum interventu Capellani aut alterius Sacerdotis per ipsos non autem per Praepositum destinandi in casu?

S. C. C. resp. *ad 1.*: Affirmative inter ambitum proprii Oratorii, extra vero negative;

*ad 2.*: negative.

Die 5. Junii 1723. *Cremon.*

*Ad dubium*: An Confraternitas ultima dominica Septembris ducere possit processionem cum imagine B. M. V. ad plateam magnam civitatis cum assistentia parochi, vel eo deficiente, proprii Capellani, ac populo benedicere tam in dicta platea, quam sub stillicidio propriae Ecclesiae et intus eandem?

S. C. C. resp.: Affirmative accedente tamen licentia Ordinarii et comi-